

alicuius positiui, sed indiuisibilitas aduenit continuo ratione vnitate: ergo vnitas est aliquid positium.

Tertio, continuum cum tali vnitate est pars materialis numerit ergo vt sic est omnimodè aliquid positium. Consequentia patet: quia forma, & subiectum, debent entitatiue proportionari: sed numerus est forma positiua: ergo & subiectum numeritale est continuum, vt vnum indiuisibile: ergo vnum prædicamentale est aliquid positium reale.

4. Concluf.

Dicendum quarto. Vnitas numeralis distinguitur ex natura rei ab ipso continuo, cuius est vnitas: hæc est supra dictis conformis contra Magistrum Murcia, & alios, quos ipse citat, quam sic ostendo: sicut se habet vnitas transcendentalis ad ens; ita se habet vnitas numeralis ad continuum; quantum ad distingui: sed vnitas transcendentalis distinguitur formaliter ab ente: ergo & vnitas numeralis à continuo: maior patet: quia tam in ente, quam in continuo, est similis ratio indiuisiōis: minor probatur, ibi est distinctio formalis, vbi dantur distinctæ formalitates, sed alia est formalitas quanti continui, & alia formalitas indiuisibilitatis: ergo distinguuntur formaliter, minor patet: nam alia est entitas continui, vt sic, & alia, vt consideratur, vt vnum indiuisibile, & vt pars materialis numeri: ergo.

Secundo argumentor ad hominem contra Murcia: vnitas numeralis, per se, est aliquid positium, & non aliquid superadditum ipsi, sed est essentialiter, & formaliter ipsamet essentialia continui. Tunc sic: si formaliter sunt idem: sequitur, quod sicut continuum, vt sic, est diuisibile, quod etiam sit diuisibile, in quantum vnum: quia vbi datur eadem entitas quantitatis formaliter; necessario debet dari eadem quantitatis passio, & diuisibilitas: & sic continuum, in quantum vnum, non erit indiuisibile: & ita erit diuisibile, in quantum vnum; & non erit diuisibile: quod est contradictio. Vel si in quantum vnum est indiuisibile: inquirō, vel per vnitatem positiuam superadditam: & ita nobiscum sentis, vel tantum per priuationem diuisiōis: & sic tibi contradicis, vel tantum per ipsam quantitatem, cuius est vnitas, & ita reddit primum inconueniens.

Vlt. concl.

Dicendum vltimo. Vnum, & multa, contrarie opponuntur; & ex consequenti priuatiue: est Doctoris decimo Metaphysic. super textum nomen, contra Commentatorem vbi supra: & probatur ex præcedente: vnitas est vna forma absoluta, & similiter multitudo: ergo non possunt contradictorie opponi: quia talis oppositio est inter ens, & non ens: nec relatiue, cum sint formæ absolutæ, nec priuatiue, cum quælibet sit forma positiua: ergo opponuntur contrarie: cum tantum sint quatuor oppositionum genera.

Dices: vnum contrarium non constituit aliud contrarium in esse: sed vnum constituit multa in suo esse: quia vnitas est pars, & principium multitudinis: ergo non opponuntur contrarie, vel si opponuntur; tantum erit relatiue: si-

cut mensura, & mensuratum: vt fatetur Doctor, vt supra.

Respondeo: quod vnum, & multa, opponuntur; quatenus secundum proprias formas considerantur: & non prout vnum est pars multitudinis. Nec est inconueniens, vt aliquid secundum vnâ rationem sit oppositum illius, cuius secundum aliam est pars. Exemplum: corpus secundum se absque anima habet aliquam formam propriam: & vt sic, opponitur animali: sicut inanimatum animato: si vero corpus consideratur vt pars animalis, & vt informabile per animam, sic non opponitur animali, sed est pars eius potentialis. Similiter de duabus numeri speciebus, v.g. de Binario, & Ternario: si considerentur secundum se, opponuntur: si vero, vt vna includit aliam, tanquam partem, tunc non opponuntur. Sic in proposito dicendum est: & per hoc ad illud de oppositione relatiua: nam non est inconueniens, vt sub diuersis rationibus, idem subiectum diuersas oppositiones fundet.

Ad argumenta: ad primum dico, quod illa vnitas est entitas, & quantitas absoluta indiuisibilis realiter cum continuo identificata, & reductiue ad continuam quantitatem pertinens: per accidens autem ad discretam tanquam subiectum numeri discreti.

Ad primū.

Ad secundum (omissa solutione Didaci à Iesu) respondeo: continuum dupliciter considerari posse: vel vt continuum est; vel vt est subiectum numeri: primo modo est vnum propria vnitate: secundo modo, est vnum; & indiuisibile hac vnitate: & sic non est magis, aut minus, diuisibile respectu huius vnitatis.

Ad secundum.

Ad tertium nego antecedens: ad probationem dico: quod vnum est ens quidditatiue, & ratio, qua ipsum ens est vnum. Cæterum cum ens nec sit vnum, nec multa vnum includit ens secundum entitatem, non vero secundum vnitatem: quare nec est processus in infinitum, nec argumentum concludit magis contra nos, quam contra eos, qui ponunt ens quidditatiue de suis passionibus prædicari.

Ad tertium.

ARTIC. II.

An numerus sit vnum ens per se reale à rebus numeratis realiter distinctum?

IN hoc articulo perdifficili quatuor sunt celebres sententiæ: prima, quæ à Doctore in primo Reportationum dist. 24. tertio loco ponitur, est Magistri sententiarum in primo dist. 24. quem sequuntur Suarez 2. tomo Metaph. disput. 41. sect. 1. numero 18. & Gabriel Vazquez prima parte disput. 118. cap. 3. & alij non pauci, qui omnes tenent, numerum formalem, seu quantitatum, pro formali, & vt est vnum per se, esse aliquid rationis. Itaque partes continui extra animam sunt diuisæ, quarum vnitas formalis est ab anima tantum: nam anima potest accipere ali-

1. Sentent.

aliquam multitudinem partium, vt vnum intelligibile, & negociando circa illam per actum suum potest per vnâ partem illius multitudinis mensurare totam multitudinem intellectam; & sic eam cognoscere: & istam multitudinem sic cognitam, & mensuratam, potest applicare ad multitudinem, quæ est extra, quæ non est vera: sed tantum, hoc, hoc, hoc: & ipsam mensurare per multitudinem, quæ multitudo extra, sic mensurata à multitudine intellecta denominatur numerus à numero, qui est in anima.

Et si quæras: quomodo ergo numerus est species quantitatis, quæ est Prædicamentum reale absolutum?

Respondet Magister: quod sicut secundum Philosophum ens diuitur in ens reale, & ens rationis; & relatio in relationem realem, & relationem rationis: sic quantitas sui prima diuisiōe diuiditur in continuum, vt in speciem, & ens reale: & in discretam, vt in speciem, & ens rationis, quæ ante est in anima, quam anima inuenit surer aliquid sui, & illi potest anima nomen imponere; & significabit primo, illam quantitatem, quæ est in anima, & denominatiue potest prædicari de multitudine, quæ est extrinsecam; quæ tantum est, hoc, hoc, hoc: quæ sine anima non habet aliquam formam vnitatis numeralis.

Aliter respondent Suarez, & Vazquez; dicentes: ille, quod in pluribus quantis datur numerabilitas, quæ est denominatio quædam à facultate animæ potentis numerare, seu mensurare multitudinem vnitatum, easue per modum vnus numeri conciperet. Ille vero, quod in numero datur ordo prioris, & posterioris: est enim ordo inter primam, secundam, tertiam, & reliquas vnitates, ratione cuius dicuntur numeri differre: qui quidem ordo est per intellectum nostrum: sicut enim incipimus numerare ab hac vnitate, possumus ab illa initium sumere: vnde cum ex natura rei non sit talis ordo in rebus ipsis; sequitur, eam rationem, qua essentialiter completur multitudo in ratione numeri, esse per intellectum nostrum. Hæc conclusio sic explicata probatur ex Aristotele quarto Physicorum text. 131. capite decimo quarto, dum ait: si id, quod numerare debet, esse non potest, nec numerabile quidquam esse potest. Vbi fatetur videtur numerum non esse extra animam. Quod clarius ostendit ibidem, dum dicit: impossibile est, quod sit numerus: si impossibile est, quod sit intellectus.

2. Sentent.

Secunda sententia asserit numerum esse vnum reale per aggregationem: ita vt numerus ternarius sit solum tres vnitates, vt sunt à parte rei. Ita sentiunt Nominales in primo dist. 24. Fonseca quinto Metaphysic. cap. septimo questione quinta sectione secunda. Albertus octauo Metaphysic. tractatu primo capite quarto. Oñia in Prædicamentis questione de Quantitate articulo quarto, quos sequitur ex nostris Hieronymus de Valera lib. secundo dist. quarta questione quarta citatque pro se Doctorum in primo dist. 24. sed immerito, vt vide-

bitus: eandem sententiam amplectantur Suarez, & Vazquez, vt supra, quam probant primo ex Arist. octauo Metaph. text. 10. dicente: aut numerus vnum non est; sed velut cumulus: aut si sit, dicendum est, quid nam illud sit, quod efficit vnum ex multis. Et decimo Metaph. text. 10. ait: numerum esse multa vnâ & text. 4. numerus est multitudo vnitatum: quæ definitio desumpta est ex lib. 7. Elem. Euclidis.

1. Argum.

Secundo probatur à Doctore in Reportatis vt supra, arguente contra opinionem Arist. quæ est in ordine secundæ: sic partes, quæ non habent maiorem vnitatem in toto, quam haberent, si nõ essent in toto, non sunt partes alicuius totius, quod est per se vnum: sed vnitates alicuius numeri non habent maiorem vnitatem per hoc, quod habent discretionem in numero, quam si quælibet esset per se sine alia: ergo non sunt partes alicuius totius, quod est per se vnum. Maior patet: quia subiectum includit prædicatum: si enim essent partes alicuius totius, haberent maiorem vnitatem in illo, quam si essent per se, & seorsum minor probatur: quia vnitates faciunt numerum, vt discretæ, & distinctæ adinuicem: cum de ratione quantitatis discretæ sit, quod illius partes, vt illius partes sunt; non copulatas termino communi: & ob id duæ partes eiusdem quantitatis non efficiunt numerum simpliciter: quia est res distinguantur vniantur tamè termino communi: sed quælibet seorsum sine alia est etiam discreta, & distincta ab alia: ergo non habet maiorem vnitatem per hoc, quod habet discretionem in numero, quam si quælibet esset per se sine alia.

2. Argum.

Tertio, impossibile est formam absolutam aduenire alicui de nouo, sine sui, sine alterius, mutatione: sed si sex lapidibus, vel vnitatibus, facientibus numerum senarium, addatur vnus lapis, vel vnitas, per generationem, vel creationem; sex priores vnitates desinunt esse subforma senarij, & incipiunt esse subforma septenarij: ergo si forma septenarij est forma absoluta; & sex vnitates lapidum non mutantur per hoc, quod generatur septimus lapis: sequitur; numerum non posse realiter esse vnum per se, sed per aggregationem.

3. Argum.

Quarto, si numerus esset vnum per se, à rebus numeratis distinctum; esset accidens ergo esset in diuersis subiectis: quod impossibile videtur.

4. Argum.

Quinto, si numerus esset aliquid vnum per se distinctum à rebus numeratis, sequeretur, quod ex duobus binarijs eiusdem speciei; coniceretur alius binarius: & cum iste cum illis faciat numerum, resultabit quaternarius: & sic in infinitum: ergo, vt hoc vitetur, dicendum est numerum esse vnum per aggregationem, & non vnum per se realiter à rebus quantis distinctum.

5. Argum.

Sexto, arguit Suarez assertione secundæ: Sicut quantitas continua intelligitur esse vna præcisè ex indiuisiōe: ita quantitas discreta intelligitur esse numerus præcisè ex diuisiōe singularum partium continuarum, quæ diuisio supra terminos singularum quantitatum; solum addit negationem termini communis: ergo

6. Argum.



ergo numerus, vt sic; non addit accidens reale, & positium vltra vnitates, seu quantitates singularum vnitatum.

3. Sentent.

Tertia sententia asserit numerum a parte rei esse vnum per se vnitatem ordinis: ita communiter omnes veri Thomistæ: sed in hoc numerali ordine exponendo, dissentiunt: quiddam enim, de quorum numero est Pater Gallego in præfati controuers. 26. conclus. secunda, vult vltimam vnitatem esse formam aliarum vnitatum: verbi gratia, in ternario prima, & secunda vnitates sunt materia, & tertia vnitates, quatenus vltima est, habet rationem formæ numeri ternarij, à qua ternarius dicitur vnus specificè: & istum ordinem inter vltimam, & reliquas vnitates, appellant numerum prædicamentalem: diuersimodè adhuc: nam Soto in Logica in hoc cap. quæst. secunda, & Soncinas quinto Metaphysic. quæst. 25. vult istum ordinem esse aliquid rationis: & ita cum Auctoribus primæ sententiæ coincidere videntur. Rubius vero, & alij suspicantur esse ordinem realem consistentem in aptitudine numerabilitatis inter ipsas vnitates: sicut quælibet relatio ordinis, vt exercitus, siue vniversi.

Quiddam vero, de quorum numero est Araujo quinto Metaphysic. quæst. tertia articulo secundo, dicto tertio, intendunt, vltimam formalitatem numeri, quæ ipsum in esse talis constituit, esse vltimam vnitatem in singulis vnitatibus repositam: quatenus singulæ vnitates aptæ sunt ex natura rei vltimate alia determinare. Ita que volunt isti rationem vltimæ vnitatis in ternario, verbi gratia, non conuenire primæ, vel secundæ, vel tertiæ vnitati determinate; cui vero; Deus nouit: sicut volunt Capreolus in primo distinct. 24. quæst. 1. conclus. quinta, & Flandria quinto Metaph. quæst. 14. artic. sexto. Sed cuiuslibet in differenter conuenire tribuere speciem ternario. Hæc sententia sic explicata probatur: quia sic, optime natura numeri explicatur, vt sit ens reale, & vera quantitatis species: ergo, &c.

Secundo hanc sententiam in primo sensu explicatam probat nouiter Pater Gallego, illa est ratio formalis alicuius rei, qua posita, ponitur, & qua ablata, aufertur: sed posita vltima vnitatem, ponitur numerus; & ablata, aufertur: ergo vltima vnitatem est ratio formalis constituens numerum.

Tertio, idem est principium constitutum, & distinctum: sed vltima vnitatem distinguit specie ternarium à quaternario: ergo vltima vnitatem est constitutiva Quaternarij. Minor probatur: nam posita ipsa, fit distinctio specifica: & ablata, aufertur: ergo si vltima vnitatem est principium talis distinctionis specifica; etiam erit principium constitutum talis speciei.

4. Sentent. Doctoris.

Quarta sententia est Doctoris octauo Metaphysic. super textum decimum, & in quinto Metaphysic. quæst. nona, & in tertio distinct. 22. quæst. vnica littera L. & in præfati ad primum contra secundum modum dicendi: Doctorem se quantur ex nostris Taretus in hoc capit. dubio primo: & ex alienis quam plurimi, quos citant Suarez vt supra, & Pater Gallego controuersia 25. qui Diuum Thomam etiã pro nobis allegat.

Quæ quidem sententia tenet, numerum esse vnum ens per se proprie, tanquam speciem quantitatis, in hoc Prædicamento collocatum; esseque verum ens absolutum ab vnitatibus realiter distinctum: pro cuius intelligentia notandum primo, ex Philosopho quarto Physicorum: quod numerus est in triplici differentia: alius est numerus numerans: & est ipsa anima numerans, & concipiens plures vnitates: alius est numerus numeratus, qui est duplex: improprius, & est quantitas continua successiuæ vt motus, qui per tempus numeratur: alter est proprie dictus: sicut decem lapides, decem homines, de quorum quantitate certificamur: alius denique est numerus formalis, quo res numeratas numeramus, qui etiam est duplex: improprius, vt tempus, respectu motus: & proprie dictus; & est forma vnitatibus numeratis superaddita: & de hoc numero formali proprie dicto inquirimus in præfati.

1. Notand.

Secundo notandum: quod sicut albedo potest sumi secundum se, & à subiecto abstracta, vel vt subiectum concernit: sic numerus formalis sumitur, vel vt ab vnitatibus abstrahit: & vt sic secundum Doct. quinto Metaph. quæst. 10. diuersificatur penes diuersitatem formarum totius: vt binarius, per propriam formam totius, & sic de reliquis. Si vero numerus formalis sumatur in concreto, vt concernit vnitates quantitatis: tunc si tales vnitates fuerint in materia Physica, & sensibilis: dicitur numerus Physicus, & sensibilis: quia accidit sensibile dicitur, eo quod ad sensationem alterius sumitur: licet non per se: si autem connotet materiam intelligibilem, & non sensibilem, erit numerus mathematicus: & numerus formalis in concreto sumptus diuersificatur penes ordinem ad ipsam materiam, seu subiectum, in quo subiectatur.

2. Notan.

Tertio notandum: quod numerus: vt ait Doctor quarto Metaph. quæst. 2. §. nota pro tertio argumento: est accidens simplex non habens materiam, nec formam: sicut nec albedo, nec aliud quodcumque accidens: vt late probat ipse 8. Metaph. quæst. 1. Vnde numerus ternarius, qui à parte rei in tribus quantis reperitur, non componitur ex illis tribus quantis: vt vna sunt, seu vt vnitatibus numeralibus indiuisibilibus afficiuntur: sed est essentialiter discretio realis: seu forma discretiua in illis tribus quantis vnis, & indiuisibilibus subiectata: tanquam in subiecto adæquato: continua enim secundum se dicitur subiectum remotum illius discretionis: vt autem vnitatibus afficiuntur: sunt subiectum proximum: et si simul sumantur: sunt subiectum adæquatum: et si diuisiue, quodlibet est subiectum in adæquatum: hæc est enim natura quantitatis discretæ: vt in pluribus subiectis in adæquatis subiectetur: vt in adæquato tamen, in vno solo. Cæterum vnitatem nunquam dicenda est pars discretionis, quæ proprie numerus est; imo nec pars subiecti, in quo numerus subiectatur: quia subiectum discretionis, vt sic, non præintelligitur quantum discretum: cum discretio sit prima quantitas, quæ illi inest: sed solum præintelligitur hoc quantum vnum; & illud quantum vnum.

3. Notand.

Si

Si autem quæras: quomodo ergo saluatur, quod vnitatem sit pars numeri: vt ait Arist. in pluribus locis?

Nota maxime.

Respondet Doctor: quod numerus in tabulis, & similibus auctoritatibus, non sumitur tantum pro discretione, quæ est essentialiter numerus habens partem, & partem; sed pro composito ex illa discretione, & proximo susceptiuo in subiecto; id est, pro vnitatibus: & illud totum compositum dicitur vnum per accidens: sicut caro quanta: vnde sicut huius totius assignatur pars, hæc caro: ita in numero sic composito assignatur pars, vnitatem. Cæterum, vnitatem formaliter non habet rationem partis numeri; sed per partem discretionis fundatam in ipsa, fit pars numeri per accidens: sicut caro per quantitatem fit pars huius compositi, caro quanta: sicut enim punctis in linea correspondent puncta in substantia, quæ sunt subiecta indiuisibilia illorum; sic partibus in discretione correspondent partes in continuis, quæ sunt illarum subiecta: quæ continuorum partes dicuntur vna: quia vnitatem multiplicata causat multitudinem, quæ multitudo est adæquatum numeri subiectum.

4. Nota.

Quarto notandum: quod sicut in compositis Metaphysicis sumitur ratio generis, & discretiua, ab ipso composito secundum distinctos gradus ex natura rei in ipso inclusos: sic in numero dicendum est. Vnde cum eius essentia sit discretio, sicut continuitas secundum longitudinem est essentia lineæ: ab ipsa discretione sumenda est illius distinctio, & ratio per se vnus. Quapropter si discretio consideretur absolute, vt habens partem extra partem nulla communi termino copulatur ab illa, vt sic, sumitur ratio generis in numero: si autem consideretur talis discretio, quatenus secundum tales partes extensas non copulatas termino communi est apta multitudinem continuorum absolute discernere; sumitur ab illa ratio discretiua subalterna: si vero consideretur, vt est apta discernere tantam, vel tantam multitudinem, sumitur ab ea ratio discretiua vltimæ numeros specificos constituentis: vt binarium, ternarium, &c.

Disin. numeri.

5. Notan.

Nec ex hoc sequitur, quod numerus sit ens relatiuum; licet per multitudinem distinctiatur: nam sicut in reliquis accidentibus accidit, vt subiectum in eorum definitionibus addatur; sic de numero asserendum est. Quare numerus formalis iuxta Doctoris mentem sic distincti potest: est discretio, seu forma discretiua, apta multitudinem continuorum discernere, ac numerare.

Quinto notandum: quod sicut diuisibilitas est propria passio quantitatis in communi: ita & cuiuslibet quantitatis in particulari, tam continua, quam discretæ: & sicut quantitas continua non est actu diuisa, sed in potentia: nam actu est indiuisa: & in potentia diuisibilis: sic quælibet quantitas discretæ non est actu diuisa, sed in potentia. Et cum potentia diuidendi sit singularis, eius actus: etiã singularis est: ac per consequens in quantitati

bus singularibus exercetur: nempe in hac quantitate continua, & in illa discretæ: hoc est, in hac linea bipedali; & in illo numero quaternario: diuersimodè tamen: nam quantitas continua, ita diuiditur; quod adhuc est diuisibilis in temper diuisibilia, ratio est: quia eius partes vnico communi termino copulantur: ac quantitas discretæ licet sit diuisibilis, non tamen in temper diuisibilia: hoc enim est discrimen inter vtramque quantitatem, quoad diuisibilitatem: nam continua est infinita in potentia in hoc, quod est minui: & discretæ, vt numerus, est infinita in augeri. Vnde in numeris datur minor numerus, quo minor dari non potest: vt est binarius, qui quidem est vera quantitas non vltra diuisibilis, sed vltimo diuisa: & est vltima pars quantitatis discretæ incapax diuisionis: nam diuisio solum in numeris compositis, & non in simplicibus reperitur.

Vlt. nota.

Pro quo notandum vltimo: quod numerus pro materialis in sui prima diuisione: prout ad præfati attinet, diuiditur in Parium, & in Imparum: numerus par est, qui diuiditur in partes aliquotas; id est, æquales, & eiusdem rationis: vt octo; in quatuor, & quatuor: Impar vero diuiditur in partes non aliquotas; id est, in æquales, & diuersæ rationis: vt ternarius in ternarium, & quaternarium. Vnde cum vnitatem non sit multitudo, sed multitudinis principium, vt optime Doctor, hic, ad primum pro secunda quæstione, hinc est, non posse dari numerum pro substracto; nisi duabus vnitatibus datis: & sic primus numerus, in quem numerus par diuidi potest, quin ipse possit diuidi, est binarius: & primus numerus par est quaternarius constans ex duobus binarijs; non actu quia non manent actu; & sub suis formis discretis, quando quaternarium subiectant: sed tantum in potentia: quia quaternarius pro substracto in potentia est in illos duos binarios diuisibilis. Secundus numerus, in quem numerus impar resoluitur, est ternarius: & iste etiam non potest diuidi, sed est primus indiuisibilis, in numeris imparibus: & primus numerus impar diuisibilis pro materiali est quaternarius, qui in vnum ternarium, & alium binarium diuiditur. Quare numerus binarius, & ternarius, sunt primi numeri; ille in ordine Parium; & iste in ordine Imparum: & ideo dicuntur numeri simplices: quia non sunt ex alijs numeris paribus, seu imparibus compositi: ac per consequens indiuisibiles sunt: cum hoc tamen sunt quanti; id est, vltimæ partes quantitatis discretæ, cuius non est esse diuisibilis in semper diuisibilia; bene tamen augmentabilis in infinitum. Et hoc secundum vnum modum dicendi.

Si vero teneatur: quod vnitatem est numerus pro materialis id est, subiectum numeri, vt aliqui Antiqui tenuerunt, & ab Aristotele sæpe innuati videtur, tunc numerus binarius est diuisibilis in duas vnitates indiuisibiles: & est primus numerus par: & similiter ternarius est diuisibilis in vnum binarium, & in vnam vnitatem: & sic est primus numerus impar. Nec est inconueniens, quod numerus ex indiuisibilibus componatur: cum sit quantitas discretæ,

A a 2 quæ